



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 1. Cur, in bona terra, mala bonis misceantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

ō stulte? culex potest esse carnifex tuus.  
Quid te effers, Pharisee? musca potest te  
occidere. Quid te jactas, Thraso? crabro-  
nem aut vespam non potes pati circa au-  
res tuas sonantem; quo modo fremitus  
Infernij, & Auernales belluas, in Orco  
sustinebis?

### C A P V T X V I.

Quām bonam Deus suis, & in Ægypto,  
& in Palæstina, terram aſignārit  
ſeruis?

§. I.

Cur, in bona terra, mala bonis misceantur?

**T**erræ spinas & tribulos, noxiāſ-  
que homini è Paradiso exulanti  
bestias parientis, aut alentis in-  
commoda, vel non esse tanta, quanta ru-  
des fingunt, vel justis de cauſis euenire, di-  
xi vsque, ſuperque, quām ſatis eſt. Reſtat,  
ut de terra ipſa diſferamus. Quam ſanè,  
ſicut omnia Conditoris nostri opera, bo-  
nam eſſe, nemo dubitat, niſi malus. Nam  
præter ea, quæ ſuprā commemorauimus,  
multa alia beneficia illius expendunt, qui  
Cyceonem eiberunt, & ex cista Cereris  
ſumpferunt, ut dici ſolet; hoc eſt, qui illo-  
tis

tis manibus & pedibus ad hæc sacra non  
veniunt. Evidem cùm terram non ubiq;  
sibi similem, sed alibi siccām & arenosam,  
alibi irriguam; & (sicut in corpore ani-  
malis alibi carnem, ossa alibi) esse alibi  
mollem, alibi lapidosam oporteat; hinc  
*non omnis fert omnia tellus.* Est itaque una  
fertilior, feliciorque, quām altera. Sed nō  
periude utile est, homines ac agros discri-  
minare. Viunt passim mali & scabris sa-  
xis cædendi, permixti bonis, & bona terra  
dignis; vt hi ab illis accipient patientiæ ac  
virtutis occasionem. Non igitur debent  
terræ separari; sed sapientissime, & justus  
Job in terra Hus, & odio dignus Esau in  
fertilī solo Chanaan permittitur habitatē.  
Quippe & mali in loco bono, mali; & bo-  
ni, in loco malo, boni esse possunt. Hæc est

**Matth. 5.** bonitas Dei, qui *solē suum oriri facit super  
bonos & malos: & pluit super justos & injustos.*

Quia mala malis sunt in admonitionem,

**Matth. 6.** bonis in ansam merendi: bona autem bo-  
nis in stimulum; malis in præmium; qui,

**2.5. 16.** **Luc. 16.25.** si quid boni gerunt, in hac vita, accipiunt  
mercedem, sicut Abraham de epulone affi-  
mavit. Quæ idcirco memori mente tenen-  
da sunt, ne quis offendatur, si videt aut  
steri

sterilem justi agrum; aut fertilem impij  
glebam.

§. II.

*Charis de bona terra prospici.*

Quanquam, ubi res fert, neque in hoc  
suum obliuiscatur cælestis Pater. Et que-  
dam est Paradisi imago, si homines cum  
locorum amoenitate consentiant. Hac de  
causa, quisquis alteri optimè vult, in  
optimo quoq; eum vult esse loco. Amaue-  
rat Iosephum, & Iosephi causa patrem  
ac fratres eius: *Dixit itaq; rex ad Ioseph: Pa-* Gen. 47.  
*ter tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra* 5.

*Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac*  
*eos habitare, & trade eis terram Gessen. Iose-*  
*ph verò patri & fratribus suis dedit possessionem*  
*in Ægypto, in optimo terra loco, Rameses, ut*  
*præceperat Pharao. Quod peculiari Dei erga*  
*Israëlitas cura factum sacra monstrat hi-*  
*storia, cùm fratribus suis dixerit Ioseph:*

*Pro salute vestra misit me Deus ante vos in* Gen. 45.5.  
*Ægyptum. Biennium enim est, quòd cœpit fa-*

*mes esse in terra: & adhuc quinq; anni restant,*  
*quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitq;*  
*me Deus, ut reseruemini super terram, & escas*  
*ad viuendum habere possitis. Non vestro con-*  
*silio, sed Dei voluntate hic missus sum. Dum*

ergo